



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Qua ratione auditorum animi possint commoueri. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Qua ratione auditorum animi possint commoueri.

Cap. II.

HOC autem sit primum preceptum, vt quis auditorum animos commoueat, qua in re, orationis sita est victoria, vt ille, qui dicit, sit ipse commotus: vt, si alios vult flere, fleat ipse primum: quod consequetur, si quod verbis predicabit, operibus comprobare studuerit; si nulla alia de causa, quam zelo Dei, & studio salutis animarum, dicendi munus susceperit: si prestantissima charitatis virtute accensus fuerit, cuius solo ardore, beato Gregorio pontifice teste, predicatio flammescit: ita enim fieri non poterit, quin aliqua scintilla ad auditorum corda perueniat. Vtile erit praeterea, rem ipsam, de qua dicturus est, diligenter considerare, eaq; ex sacris literis, & praesertim ex prophetis, qui fuerunt Dei legati, & caelestes (vt ita dicam) oratores legere, in quibus idem, aut similis locus explicandus est: verbi causa, cupiens (quod saepe necessarium est) auditoribus diuina ultionis timorem incutere, legat Esaiam prophetam, qui illum locum tractat his verbis: Abiecerunt legem Domini, ideo iratus est furor Domini in populum suum, & percussit eos. Et alio loco, Ultionem capiam, & non resistet mihi homo; quonia iratus super populum meum, effundam super eum indignationem meam. & omnem iram furoris mei. Et multo vehementius terrorem incutit, cum dicit: Vab Assur, virga furoris mei & baculus, ipse est; in manu mea, indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi, vt auferat spolia, diripiat praedam, & ponat illam in conculcationem quasi lutum platearum. Qua verba calamitosis

hisce

hisce temporibus maximè conueniunt: quando quidè magna orbis terra pars, sathana tyrannide oppressa, immanissimo Turcarum tyranno, eius ministro, subiecta est ita, vt ciuitatum, prouinciarum, rerum publicarum, atq; illustrium regnorum, qua in eius manus venerunt, commemoratione, populis diuina iustitia terrorem orator possit incutere. Verùm calamitatem humanã cupiens ante oculos ponere, vt deterreat à vitijs, lamentationes Hieremiae prophetae diligenter legat, quas S. etiam Gregorius Nazianzenus, vt ipse in quadam oratione scripsit, in rerum prosperitate legere consueuerat: vt ea ratione seipsum temperaret. Iam verò quoniam nullus est præstator magister, à quo mentes in Deum trahi possint, quàm sanctus Spiritus; idè precibus, et sanctis sacrificijs inuocandus est, atq; inuitandus, vt ipse pro Christiano oratore loquatur, ipse suggerat, ipse doceat. Quamobrè hortamur clericos, vt neq; hanc commotionis partem, neq; vllam aliarum adhibeant; immò ne ad dicendum quidem audeant assurgere, nisi inuocato Spiritu sancto, & nisi corde puro & contrito, illud semper in animo habentes; Spiritus sanctus effugit fictum, & non habitat in anima subdita peccatis.

Quid sit commotio, & quòd Stoici, qui omnes affectiones appellârunt morbos, & idè eas extirpandas censuerunt, vehementer errauerint: & qua ratione bonæ à malis distinguuntur. Cap. III.

CV M commotio sit quædam mentis incitatio, sine qua ingrata & exanguis fit oratio; dabit operam Eccle-